

facile quamlibet excipi figurā; ut si forte opus sit, cuneo, orbe, globo, fornice, rostro, ferra, alis, turri, aut quavis alia exercitus forma, hostem adoriatur. Sed hæc explicatius tradant rei militaris scriptores, ex quibus copiosè factis collecta videas apud nostrum Valtrinum l. 5. de re mil. c. 2. & Lipsium lib. 4. de Mil. Rom. dialogo 1. 6. & 7. ac lege Vegetium lib. 1. c. 26. Igitur Deipara ab ipso primæ formationis, & creationis momento progressa dicitur *terribilis, ut castrorum acies ordinata*. Terribilis, inquam, quia ordinata; terribilis; quia ex divina legis obedientia *vertibilis*, agilis, mobilis, atque in omnem divinæ voluntatis motum promptissima, & expeditissima. Annon hæc omnem profus inobedientiam ab illa longè alienissimam fuisse significant?

194 Subdit animum suspicari, utrum ad ordinem cælestis militiæ adulerit Salomon. Cùm enim ab Aurora, luna, soleque tota formæ comparatio immediatè esset desumpta; non videbatur alienum, si extremam hanc comparationis partem: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*, eodem referamus. Accedebat, quòd editio quinta legerit: *Illustris ut castrorum acies ordinata*; ut vox illa *illustris* à cælesti militia ductam similitudinem illustret. Vide apud Ribera nostrum Joel 2. 65. multa de hac voce. Neque insolita videri debet translatio, quam frequenter in Scriptura offendimus, ubi *militiam cæli*, sidera, astra, signaque cælestia dicta sæpe legas. Deut. 16. 3. & 4. Reg. 17. 16. Isaia 40. 26. & 24. 21. & 34. 4. Jer. 19. 13. Sophon. 1. 5. Acto. 7. 42. & sæpè alias. Rursus cælestem militiam à castrensi suo ordine terribilem, non semel legabamur commendatam. Judic. 5. 20. & c. 4. 15. Eccl. 43. 9. Baruc. 3. 34. Illustram metaphoram nec ignorarunt Echnici Poëtæ Ovid 2. Meta.

Sidera sunt celestis militia.

Ovid. Diffugiunt stella, quarum agmina cogit Lucifer.

Seneca. Seneca in Hercule furenti: Luce renata cogit nitidum Phosphoros agmen. Lege Nazianzenum Orat. 34. Theodoret. ser. 1. de Providentia, Boetium l. 4. de consol. metr. 6. si plura hac de re exoptas. Si is, quem diximus, nexus aptus sit, ut sicut eximia Regiæ nostræ pulchritudo ab Auroræ, lunæ, solisque similitudine in primo hemistichio commendatur; ita in secunda ejusdem v. parte consequens laudatio præstantis fortitudinis ex rei quoque cælestis comparatione petita sit: *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Si hæc, inquam, connexio apta sit, & cohærens, certè quod ad significatum mysterium atinet, sicut ex Deiparæ pulchritudine, auroræ progredienti, lunæ novæ, aut noviter conditæ, solisque puritati quàm simillima, ejusdem Deiparæ immunitas superius explicata est; ita nunc ex ejusdem præstanti fortitudine cælesti militiæ ordinatissimæ longè superiori, eadem immunitas mirificè confirmari potest.

Cælesti militia ordinatissima similis Deiparæ.

Maria cæli nomine significata in sua Conceptione. S. Athan.

195 Beatissimam Virginem cæli nomine, ac simbolo tam in scripturis sacris, quam apud Patres significari, hujus litteraturæ quavis compertum est. Multa in hanc rem eruditè conferunt P. Spinellus lib. de laud. B. V. c. 3. ex multi Patribus; & Salazarus noster Prov. 8. 27. Ego unum vel alterum testimonium expendisse contentus ero. S. Athan. ser. in descrip. S. Mariæ, & S. Josephi apud Surium 25. Decemb. *Non coinquinatum fuit secundum illud cælum, neque commaculatum vas Mariæ Dei capax effectum*. Alludisè videtur ad illud, non in-

trabit in illam aliquid coinquinatum. Sed clarus & argutus S. Damascenus Or. 1. de Nat. B. V. quam ego in ejusdem conceptionem dictam arbitror, sic ait: *Hodie ex terrena natura cælum in terra ille condidit, qui olim firmamentum ex aquis sinxerat, atque in altum extulerat. Ac sanè hoc illo longè divinius est, & magis paradoxū sapientissimè*. Sic enim in duobus manuscriptis Codd. antiquis probæ notæ legi testatur Pantinus. Expendendum verbum, quo Mariæ ex terrena cælo natura parâ conditâ, ait Dam. imò, & cælo ipso diviniore, & mirabiliorem creatam. Porrò Græco Dam. verbo major inest vis, quâ quæ verbo *condendi* expressa fuerit ab interprete Κατασκευάζει enim idem valet, ac Latine, *creavit, edificavit, concinnavit, instruxit, exornavit*: nec non *armavit*; nam pro *armare* usus est hoc verbo Xenophon in Pædia Cyril. 6. Et ejus simplex συντάξι in eadem armandi significatione usurparunt Thucydides l. 4. & Plutarchus in Antonio: & nomen συνταξι pro *armatura* capit idem Thucydides l. 1. & 6. & Pollux l. 1. & alii. Igitur Deiparâ tanquâ mirabile quoddâ, atque divinum cælum creatam asserit, cælesti ornatu concinnatâ, cælesti item armaturâ constructam. Nonne hanc meritò terribilem dicas ut castrorum aciem ordinatam? Possem vel ad ornatum, vel ad militiam hanc cælestia signa Astrologica asciscere, Martem, Herculem, Sagittarium, Aquilas, Tella, Draconem strangulatum; & alia id genus multa, quæ astronomiæ periti in cælesti acie considerant, & quibus multo nobiliora in divini cælo Maria, piis, & doctis mentibus licebit contemplari.

S. Damad.

Cælestes motiones pro Mariana immunitate

196 Ac ne cælestes prætermittamus motiones, quas totam militiæ disciplinam esse dicebamus; quam aptissimè eadem laus: *Vertibilis ut rotunditates, ut castrorum acies ordinata*, in Marianum hoc cælum convenit. Neque enim tam certo, tam constanti, tam rato cæli ordine ad motricis intelligentiæ nutum convertuntur, ac Deiparæ sublimes illæ sphaeræ intellectus, memoria, voluntas, & reliquæ inferiores potentiarum appetitus, sensuumque orbes ex divinæ voluntatis præscripto ocyllimè cientur; atque his delata septem spiritus dona, veluti septem planetæ; reliquæ item virtutes tanquam fixa suo firmamento sidera ad proprias functiones exequendas aguntur; Cælestem hanc Deiparæ obedientiam, qua omnes suas motiones ex divina semper exegit voluntate, piè admodum cælestibus conferebat motibus Joannes Gerfon Cancellarius Parisiensis 3. p. Opusculo de cantichordio to. 2. ejusdem opusculi. *Convertimini obtutu ad corpus Mariæ organicum physicum, quando omninò contemperatum fuit, & ita profus elongatum ab omni fomite rebellis dissonantiæ, quod nec etiam minima potuit operationum notula sibi discors esse. Gloriosum planè dixerimus organum tale ad omnem harmoniam formabilem summè dispositum. Cæleste dixerimus illud organum potiùs quàm terrestre, non natura, sed gratia. Cæleste profus ob quandam stabilis immutabilitatis effigiem ob inenarrabilem obedientiæ suo spiritui legem. Cujus vicissitudines in motibus suis non plus fuerunt à recto deviabiles, quàm orbium cælestium gyrationes. Postremò videre erat in organo Maria corporeo motum proportionatum primo mobili cælesti, motum velut obliquum motui Planetarum non omninò dissimilem motum proinde rectum ad exemplar elementorum gravium, & levium. Et hæc omnia cum summo ordine; concentu, numero,*

mero, & pondere mensurata fuisse crediderim. Tantum Gerfon, & quidem ingeniosissimè. Unde constat per absolutissimam obedientiam ita instar cæli Deiparam fuisse ordinatam, ut divinæ voluntatis præscriptas leges, nulla unquam motus temeritate, nulla aut progressus, aut digressus aberratione præterierit.

Cicero.

Nulla in Mariano cælo fortuna, temeritas, vanitas erroratio.

197 Verè utique huic sublimi aptaveris cælo illam Latini Philosophi orationem, qua lib. 2. de natura Deorum, constantissimam orbium rationem commendat: *Nulla in cælo nec fortuna, nec temeritas, nec erroratio, nec vanitas inest; contraque omnis Ordo, veritas, ratio, constantia. Quæque his vacant, ementita, & falsa, pleneque erroris, ea circum terras, infra lunam, quæ omnium ultima est, in terrisque versatur*. Equidem vel hoc edoctus exemplo, cùm Deiparam lego, ordinatissimis, atque ad perpetuos, constantisque cursus aptissimis, & expeditissimis cæli orbibus in hoc Salomonico versu collatam: *Vertibilis ut rotunditas, ut orbis*; sublimiori ratione in Mariana hac causa ita mihi philosophandum esse arbitror, ut nullam in hoc tali, ac tanto cælo fortunam, temeritatem nullam, non errorationem, non inuisse vanitatem; sed contra omnem ordinem, veritatem, rationem, constantiam asseram. Tam certi enim hujus cæli motus, tam rata astrorum conversiones, tanta cum divina voluntate motrice, tamque apta connexio, tam perennis, tam constans corporis cum anima, voluntatis cum intellectu, inferiorum cæterarumque facultatum omnium cum ratione concinnitas, & harmonia; tum perpetuum illum, cælestemque justitiæ originalis ordinem in Maria comprobant, tum omnem originalis culpæ aberrationem denegant. Libet illam Joannis illius antiqui inter Græcos Patris, cognomento Geometræ, pio juxtâ, atque eleganti Hymno venerari.

Geometra Hym. 4.

Gaude concretum sublimi corpus olympo Et vitii nostri crimine Virgo carens. Salve corpus, quando bina integritate decorum est, Terreni decoris, siderei que boni. Salve corpus, quando solis fuit aurea rheda. Quæ Dominum Solis contulit æthereum. Gaude quæ Christo corpus mortale dedisti, Gaude primævi libera labe Patris. Tam clarum, tam illustre testimonium nullâ explicationis luce indiget. Disertè asserit Virginem olympo sublimi, hoc est, cælo concretam, & coagmentatam fuisse, communi hominum crimine carentem. Binâ integritate decoram commendat, terrestri; id est, corporeâ Virginitate; sidereâ, id est, animi etiam inviolatâ puritate. Marianum corpus solis currum appellat Poëtica metaphorâ. Demum primi Patris labe liberam liberè pronuntiat. En tibi, quâ ratione Homines, & Angeli, Mariæ à prima labe immunitatem, & ejusdem originariam pulchritudinem, & sanctitatis robur, cum admiratione, cum stupore concelebrant, ob tantæ, tamque insolitæ rei novitatem. Quod Siracides noster prædixerat: *In plenitudine sancta admirabitur.*

SECTIO IX.

Epitheta à Siracide Angelis adscripta illustrantur. 198 Ex utique appositissimis epithetis indigitat Siracides noster universam An. P. Ildeph. de Flores in Ecclef.

gelorum rempublicam. Eos appellat primò *Populum Dei*; secundò *Ecclesias Altissimi*; tertio *virtutem*, seu *exercitum Dei*; quarto *plenitudinem sanctam*; quinto *multitudinem electorum*; sexto *electos*, & *benedictos*. Quibus appellationibus tria mihi comprehendisse videtur. Primum, cælestium spirituum concordem numerositatem; dum eos vocat *populum, multitudinem*. Secundum, sanctitatem præcellentem, & eximiam gloriam; dum appellat *plenitudinem sanctam, electos, benedictos*. Tertium, sollicita illorum ministeria ex Dei imperio, & præscripto in totius Ecclesiæ, & humani generis utilitatem; dum vocat *Ecclesias, virtutem*, seu *exercitum Altissimi*. Tria illustranda fuscipio in gratiam sanctorum Angelorum, & majorem Christi, ac Deiparæ gloriam, quos coram cælestibus spiritibus loquentes inducit noster Ecclesiasticus; tametsi demirari nobis certè potius, atque suspicere Angelorum præstantiam incumberet, quàm imperitè eam enarrare.

§. I.

Concors Angelorum numerus.

199 **C**um *Populus* sit (ex D. Thomæ pronuntiatio 1. p. q. 31. a. 1.) multitudo hominum, aut Angelorum juris confecti, & concordii communione sociata (id enim præ se fert vox Græca λαος, & Hebraica ham; multitudinem nimirum ingentem, quæ suo numero obtegit, & obscurat terræ superficiem, à verbo *hamam*, id est, obtexit aliquid multitudine, seu densitate rei, obscuravit, obstruit numerositate) hinc est quòd ad infinitam penè Angelorum multitudinem concordem designandam eos appellat Siracides *populum Dei*; quod deinde explicat eos appellando *multitudinem electorum*. De Angelorum numerositate, multa multi videndi apud nostros *Vazquez* 1. p. q. 53. disp. 180. *Suarez* l. 1. de Ang. c. 11. *Serarium* ad c. 12. *Tobia* qu. 5. & *Africanum* Martinengum t. 1. Glossæ magnæ in Genesim. c. 1. v. 5. fol. 430. Illud certius ex communiori Doctorum calculo; Angelorum numerum esse innumerabilem: non quòd infiniti illi sint, sed quòd eorum à nobis numerus iniri non possit; excedit enim omnium hominum multitudinem, & superat stellas cæli, arenas maris, pulverem terræ, & quidquid corporeum hoc universum complectitur. Unde respectu nostræ humanæ incipientiæ infinita est cælestium Spirituum multitudo. Quod disertè satis oracula divina videntur enuntiare.

Angelorum numerus innumerabilis.

Dan. 7. 10. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*. Quod Hispani dicimus ad innumerabilem multitudinem significandam, *Millares de millares, millones de millones, cuantos de cuantos*. Job 25. 3. *Numquid est numerus militum ejus?* Et Pl. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia latantium*. Chaldaus vertit: *Currus Dei multipliciter viginti millia, & millia Angelorum*. Apoc. 5. 2. *Audivi vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium*. Et Paulus ad Hebræ. 12. 22. *Ad Hebræ. vocat Jerusalem cælestem, & multorum millium Angelorum frequentiam*. Consulendi Interpretes sacri ad hæc testimonia.

Dan. 7. 10.

Job 25. 3.

Apoc. 5. 2.

Ad Hebræ. 12. 22.

200 Concordem & ordinatam omnino esse hanc propemodum infinitam Angelorum multitudinem.